

unt fontes nostri. Unde quidem nobis concluderè licet, nullam ubique Duchoborzorum cum caeteris sectis Rossicis communionem exstare. In quam sententiam solis jam internis rationibus adducimur, cum illi et doctrinam foveant a reliquorum schismaticorum placitis quam maxime discrepantem, et cultum externum caerimoniasque respuentes, hisce addictos non spirituales Christianos, sed mundanos homines esse praedicent. Et Rascolnicorum autem numero plerique in observandis externis ecclesiae ritibus, e. g. jejuniis, vel ipsis orthodoxis severiores sunt. Indubitata vero sententiam nostram id reddit, quod l. c. de Duchoborzis certe Melitopolitanis refertur, eos scilicet nec cum *Molocanis* quidem societatem iniisse. Quod quidem eo magis separationem eorum a caeteris sectis confirmat, quo minor inter utrosque fidei dissensus deprehenditur, ita ut hucusque ab omnibus fere unum idemque hominum genus habitum sint. Ipsi Molocanis anno 1821 inter Mennonitarum sedes agri, in quos coloniam deducerent, Duchoborzorum regionibus finitimi assignati sunt, ubi ex provinciis Tambov, Orel et Ekaterinoslav plerique profecti, inde ab anno 1823 vicum ab ipsis conditum (*Norovassiljevskoje*) incolunt et inter octingentos circiter homines utriusque sexus Cosacos quoque militaribus honoribus ornatos numerant. Quos Molocanos cum primum Duchoborzis sociare voluissent magistratus, hi recusarunt, dissensionem doctrinae jactantes, quam